

Ferienprogramm III (10. August 09)

1. **Informieren** Sie sich über

a) „Zwölftafelgesetz“ (wann / warum / wer)

b) Valerius Maximus und sein Werk

2. **Latein-Deutsch**

a) Wiederholen Sie zunächst die bisher herausgeschriebenen und gelernten Vokabeln.

b) Wiederholen Sie den Inhalt der bisher übersetzten Passagen.

c) Übersetzen Sie die neuen Passagen.

3. **Deutsch-Latein**

a) Wiederholen Sie die bisher analysierten Passagen.

b) Machen Sie dann weiter mit den unten stehenden Passagen (S.1-2 und 3) aus Cicero, *De re publica*.

c) Machen Sie wieder mindestens drei Übungen in „moodle“.

Tarquinius Superbus (Cic. rep. 2,44)

... etenim illi iniusto domino atque acerbo aliquamdiu in rebus gerendis prospera fortuna comitata est. nam et omne Latium bello devicit et Suessam Pometiam, urbem opulentam refertamque, cepit et maxima auri argentique praeda locupletatus votum patris Capitolii aedificatione persolvit et colonias deduxit et institutis eorum, a quibus ortus erat, dona magna quasi libamenta praedarum Delphos ad Apollinem misit. [...]

(45) [...] rex ille, de quo loquor, primum optimi regis caede maculatus integra mente non erat et, cum metueret ipse poenam sceleris sui summam, metui se volebat; deinde victoriis divitiisque subnixus exultabat insolentia neque suos mores regere poterat neque suorum libidines. (46) itaque cum maior eius filius Lucretiae, Tricipitini filiae, Collatini uxori, vim attulisset mulierque pudens et nobilis ob illam iniuriam sese ipsa morte multavisset, tum vir ingenio et virtute praestans L. Brutus depulit a civibus suis iniustum illud durae servitutis

iugum. qui cum privatus esset, totam rem publicam sustinuit primusque in hac civitate docuit in conservanda civium libertate esse privatum neminem. quo auctore et principe concitata civitas et hac recenti querella Lucretiae patris ac propinquorum et recordatione superbiae Tarquini multarumque iniuriarum et ipsius et filiorum, exsulem et regem ipsum et liberos eius et gentem Tarquiniorum esse iussit.

** Lesen Sie unbedingt (mindestens ...) auf Deutsch Livius 1,57-60.

aus: Valerius Maximus, Buch 6 („De pudicitia“)

(1,1) Unde te virorum pariter ac feminarum praecipuum firmamentum, Pudicitia, invocem? Tu enim prisca religione consecratos Vestae focos incolis, tu Capitolinae Iunonis pulvinaribus incubas, tu Palatii columen augustos penates sanctissimumque Iuliae genialem torum adsidua statione celebras, tuo praesidio puerilis aetatis insignia munita sunt, tui numinis respectu sincerus iuventae flos permanet, te custode matronalis stola censetur: ades igitur et recognosce quae fieri ipsa voluisti.

Dux Romanae pudicitiae **Lucretia**, cuius virilis animus maligno errore fortunae muliebre corpus sortitus est, a Sex. Tarquinio regis Superbi filio per vim stuprum pati coacta, cum gravissimis verbis iniuriam suam in concilio necessariorum deplorasset, ferro se, quod veste tectum adtulerat, interemit causamque tam animoso interitu imperium consulare pro regio permutandi populo Romano praebuit.

Valerius Maximus, 5,8,1 „De severitate patrum in liberos“

L. Brutus, gloria par Romulo, quia ille urbem, hic libertatem Romanam condidit, filios suos dominationem Tarquini a se expulsam reducentes summum imperium obtinens comprehensos proque tribunali virgis caesos et ad palum religatos securi percuti iussit. Exiit patrem, ut consulem ageret, orbusque vivere quam publicae vindictae deesse maluit. (*cf. Liv. 2,5*)

Valerius Maximus 3,3 „De patientia“

Mucius cum a **Porsenna** (↑ *nachschlagen*) rege Etruscorum urbem nostram gravi ac diutino bello urgeri aegre ferret, castra eius clam ferro cinctus intravit immolantemque ante altaria conatus occidere est. Ceterum inter molitionem pii pariter ac fortis propositi oppressus nec causam adventus texit et tormenta quantopere contemneret mira patientia ostendit: perosus enim, credo, dexteram suam, quod eius ministerio in caede regis uti nequisset, iniectam foculo exuri passus est. Nullum profecto di immortales admotum aris cultum adtentioribus oculis viderunt. Ipsum autem Porsennam oblitum periculi sui ultionem suam vertere in admirationem coegit: nam „Revertere“ inquit „ad tuos, Muci, et eis refer te, cum vitam meam petieris, a me vita donatum.“ Cuius clementiam non adulatus Mucius tristior Porsennae salute quam sua laetior urbi se cum aeternae gloriae cognomine Scaevolae reddidit. (*cf. Liv. 2,12*).

Cic. rep. 2,61 „Zwölftafelgesetz“

Sed aliquot ante annis, cum summa esset auctoritas in senatu populo patiente atque parente, inita ratio est, ut et consules et tribuni pl. magistratu se abdicarent, atque ut Xviri maxima potestate sine provocatione crearentur, qui et summum imperium haberent et leges scriberent. Qui cum X tabulas summa legum aequitate prudentiaque conscripsissent, in annum posterum decemviros alios subrogaverunt, quorum non similiter fides nec iustitia laudata. [...]

(62) Tertius est annus Xviralis consecutus, cum idem essent nec alios subrogare voluissent. In hoc statu rei publicae, quem dixi iam saepe non posse esse diuturnum, quod non esset in omni ordine civitatis aequabilis, erat penes principes tota res publica, praepositis Xviris nobilissimis, non oppositis tribunis plebis, nullis aliis adiunctis magistratibus, non provocatione ad populum contra necem et verbera relicta. (63) Ergo horum ex iniustitia subito exorta est maxima perturbatio et totius commutatio rei publicae; qui duabus tabulis iniquarum legum additis, [...].